BERNARDUS CLARAEVALLENSIS

Österreich, 12. Jh. Seite 176v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26359
Copyright: Admont, Benediktinerstift

achab decipi atur pro suis meritis. Neque enim fas est credere bo-
num spiritum fallacie deseruire uoluisse. ut diceret egrediar
et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. sed achab rex
peccatis precedentibus dignus erat. ut tali debuisset decep-
tione damnari. quatinus qui sepe ceciderat in culpa quan-
doque nolens caperetur ad penam. Occulta iusticia licentia malignis
spiritibus datur. ut quos uolentes in peccati laqueo strangu-
lant. in peccati penam et nolentes trahant. Datur et eis po-
testas ad admonendos fideles. ne tale aliquid facere pro
magno desiderent. uel ad exercendam probandam mani-
festandamque iustorum patientiam. Neque enim parua inuisibilium
miraculorum potentia. Iob cuncta que habuit amisit. et filios. et
ipsam corporis sanitatem. Hec sane creatores illi mali angeli
dicendi sunt. quia per illos magi resistentes famulo dei
ranas et serpentes fecerunt. Non enim ipsi eas creauerunt.
Sic enim nec parentes dicuntur creatores hominum. nec a-
gricolas creatores frugum. quamuis eorum extrinsecus adhi-
bitis motibus. ista creanda dei uirtus interius operetur. ita
non solum malos. sed nec bonos angelos fas est putari creatores.
si pro subtilitate sui sensus et corporis semina rerum. que in
istis corporeis elementis latent. nouerunt. et ea per congruas tem-
perationes elementorum latenter spargunt. atque ita et gig-
nendarum rerum et accelerandorum incrementorum prebent
occasiones. nec boni hec nisi quantum deus iubet. nec mali hec
iniuste faciunt accepta potestate. uel ad penam suam seu
ad aliorum. uel penam malorum uel laudem bonorum. Nam sicut matres gra-
uide sunt fetibus. sic ipse mundus grauidus est causis nas-
centium. Adhibere autem forinsecus accidentes causas. que
tamen etsi non sunt naturales. tamen secundum naturam adhibentur.
ut ea que secreto nature sinu abdita continentur. erumpant
quodammodo et foris orientur. non solum mali angeli. sed et mali ho-
mines possunt. sicut agriculture exemplo docui. Sed ne